



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**LEGVM PON||TIFICIARVM GRE-||gorij noni, seu  
Decretalium pentateu-||chus**

**Mesnart, Martin**

**Parisiis, 1555**

x. De ordine cognitionum.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-63486](#)

bus ante adscensionem domini ad octauum usque diem post Pentecostes computantur. Nuptiae interim, & à septuagesima ad septimum usque diem post Pentecostes pro consuetudine ecclesiae, vel secundum canones usque ad octauas Paschatis suspenduntur. Sequenti dominico & deinceps licet celebrantur. Matrimonium tamen consensu interueniente legitimo de praesenti quocunque tempore recte contrahitor.

*De ordine cognitionum. Tit. 10.*

**S**Emel autem cœpto iudicio, quo ordine de altercationibus partium cognoscendum siet, diffinitor.

Coram quo iudice causa erit, ante eam termi-<sup>3. T. 10. am.</sup> natam ne quæ alia dependens ex ea incipiat, videto. vnum negocium diuersis processibus ne intricator. Iudicii ordo ne confunditor. Qui natum causam in ecclesiastico foro habebit, donec ea finem habessit, coram laico iudice super successione ab ea dependente si conuenietur, ut expectetur, recte petitio.

Sic & qua exceptione probata principalis <sup>1. Intelle-</sup> questio perimetur, ante de ipsa, etiam actore testes ad suæ intentionis probationem inducente, quam ad definitionis articulum procedatur, cognoscitor. Id, si vindicanti virum mulieri consanguinitas obiicietur, seruator.

Si restitutionem petenti alia spolatio in exceptionis modum obiicietur: super hac exceptio-<sup>2. Cum di-  
lectus.</sup> ne primitus probationes admittuntur. ea probata, reus ante restitutione respondere ne tenetur;

H

## De plus petitionibus

Non tamen propterea restitutor. tantum ab-  
gendo sic obiecta spoliatione repellito.

4. *Super  
spoliatio-  
ne.* Super alia quæstione reconuenire restitutione  
petentem ne permittitor. restitutionis enim pe-  
titæ hoc priuilegium esto : Qui ipsam intentat  
spoliatoribus ante restitutionem respondere ne  
cogitor.

Si verò super alia spoliatione reconuentio in  
actionis modum proposita siet: mutuæ petitio-  
nes diuersæ sese minimè contingentes censem-  
tor. qui priùs adpellassit prior agito. quæ priùs  
proposita erit priùs tractator . In idem iudi-  
cium deductæ vicissimq; tractatæ simul eadem  
sententia terminantor.

*De plus petitionibus. Tit. II.*

1. *Consiliū*

**Q**ui actionem intentat, prouidentiæ consi-  
lio vtitor. vt neq; re, neq; causa, neq;  
loco, neq; tempore plus petat, videto . Cuicunque  
in genere, vel sub alternatione debebitur, neq;  
rem in specie, neq; vnum præcisè petito . Qui  
decem debebuntur, viginti ne petito, alioquin  
aduersario in expensas condénator. Alibi quām  
vbi soluere conuenerit nemo conuenitor. qui  
hanc utilitatem ita statuto loco soluendi reo a-  
dimet, ipsi ad interesse tenetor . debitum ante  
diem vel conditionem nemo petito . alioquin  
reο inducē duplicantur. litem, nisi ei soluantur  
expensæ, excipere ne cogitor. Sic plus petentiū  
importunitas, si super petitione sua in iudicio  
persistent, punitor.